

et Stola servanda omnino est, et ab ea nullo sub expiscato praetextu declinandum. Ideo usus contrarius sive potius abusus, ubi viget, est eliminandus.

## 41) In Vesperis.

Lucana.

Ad supplicem Libellum hodierni Guardiani Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci Civitatis Lucanae exquirentis, an attentata ibi invecta immemorabili consuetudine, continuari possit usus decantandi Vesperas Celebrante *Alba, Stola et Pluviali* induto? S. C., referente infrascripto Secretario, respondendum censuit: *Serventur Decreta*. N. 4789. Die 27. Aug. 1836.

*Ad dub.*: Num celebrans, ubi non est obligatio chori, in vespis festivis vel votivis, possit stola induere, quum sit veluti praecminentiae signum, in choro, maxime in Ecclesiis ruralibus?

S. C. resp.: Negative juxta alias decreta.\*) Die 11. Sept. 1847 ad 5. *In Veronen.*

Vd.: *Stola* (in choro; in adm. Sacrament.)

## 42) In Vesperis et Matutinis.

*Ad dub.*: An retineri possit immemorabilis consuetudo dioecesis Veronen., quae etiam in aliis finitimis viget, quod in vespis festivis, et matutinis tenebrarum celebrans utatur stola, non obstantibus decretis id prohibentibus?

S. C. resp. Eliminandam consuetudinem

\*) Immo nuperrime S. R. C. declaravit eliminandam esse *immemorabilem consuetudinem*, quod in vespis festivis et matutinis tenebrarum celebrans utatur Stola. Die 7. Sept. 1850 ad 7. *In Veronen.*

veluti decretis oppositam praesertim in Alexanen. die 7. Septembris 1658, in Dalmatarum 4. Augusti 1663 ad dubium III. in Nullius Farfen. Die 7. Septembris 1816 unde Decretum generale prodiit die 26. Aprilis 1834 in Bituntin. 16. Martii 1833. Die 7. Septembris 1850.

Corresp. de Rome 1831. Ed. II. n. 59 p. 223.)

Vd. *Stola in Off. def.*

## STRATUM LAICORUM.

Vd.: *Pulvinar, Pulvinum.*

Strata ad Ecclesias sibi deferre nemini sub gravibus poenis licere declaratur exceptis dumtaxat personis Regalibus *Clemens XI. p. 3. sui Bullar. decret. 1. Congr. Caeremon. ibi.\*)* „Proposito in Sacra Congregatione Caeremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in Urbe irrepserunt, eadem Sacra Congregatio ad eum omnino tollendum die 30. currentis anni 1701 decrevit: *Non licere cuicumque personae quovis gradu, conditione, ac dignitate insignitae (ipsis Personis Regalibus tantum exceptis) ad Ecclesias strata sibi deferri facere, et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis; quod nisi servetur, Rectores, caeterosque Ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis poenam, aliasque arbitrio Sacrae Congregationis incurrere, eamque Ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendum esse pro interdicta.*“

Et facta per Prosecretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro, Sanctitas sua decretum praefatum approbavit nec non promulgari, atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sa-

\*) Bull. r. t. VIII. p. 457. Ed. Luxbg. 1741.

crariis affigi mandavit die 3. Octobris 1761.

Toletana.

Capitulum et Canonici Metropolitanae Ecclesiae Toletanae ad evitandos abusus pomparum et fastus nobilium ad dictam ecclesiam confluentium, qui sellas, strata et pulvinaria praemittabant, decreverunt alias nemini licere in posterum suprascriptis commoditatibus, seu vanitatibus in dicta ecclesia uti, exceptis dumtaxat regalibus personis et magistratibus; quod decretum fuit litteris Pii Papae V. confirmatum sub anno 1571. Ex quo decreto cum effectum esset, ut nobiles retraxerint se a dicta ecclesia, tandem dictum Capitulum et Canonici ad revocandos nobiles decreverunt ampliare et extendere dictum decretum ad omnes titulos, magistratus et officiales, eorumque uxores, filios et alios narratos in libello supplicis ipsius Capituli, quod cum per se facere nequirent, ex quo decretum illud erat auctoritate apostolica confirmatum ad Sacram Congregationem recursum habuerunt, quae respondit: Nihil Die 28. Martii 1626.

(Anal. J. P. 1863 p. 179.)

## SUBCANTOR.

Vd.: *Cantor; Directio chori; Rector chori.*)

*Ad dub.*: An Subcantori debeantur omnes praerogativae et caeremoniae, quae debentur Cantori, quando in 2. Vesp. Nat. Dom. Pasch. et Pentec. canit loco ejusdem cantoris? S. C. resp.: *Negative.*

*Item ad dub.*: An ille tamquam caput choro debeat praeferi in sedendo, Hebdomadario, qui habet usum stolae, atque etiam in Processionibus def. tamquam caput chori praeferi debeat presbytero non Capitulari, qui stola defert? S. C. resp.: *Nega-*

*tive* n. 2238 ad 2. et 3. die 4. Aug. 1663.

In causa inter Capitulum ecclesiae cathedralis Puteolanae ex una, et Franciscum Constantinum ac Franciscum Pollicem dictae cathedralis subcantores ex altera partibus propositis in S. Rituum Congregatione ab Emmo et Rmo D. Francisco Cardinali Barberino ponente, infrascriptis dubiis, videlicet:

I. An subcantoratus sit dignitas in casu?

II. An subcantoribus dictae cathedralis ecclesiae licitum sit deferre signum pelliceum sicuti dignitatibus, seu canonicis ejusdem cathedralis?

III. An et quod stallum competat dictis subcantoribus, et an eis competant salutationes, thurificationes, et aliae praerogativae, quibus gaudent dignitates seu canonici praefatae cathedralis?

Et S. Congregatio, visis et auditis juribus hinc inde ab utraque parte informante deductis, respondit: *Negative* in omnibus. Die 13. Septembris 1692.

Puteolana.

Super controversiis inter Franciscum Constantinum et Franciscum Pollicem subcantores ex una, et Capitulum et Canonicos ecclesiae cathedralis Puteolanae, ex altera partibus, excitationis, ab Emmo Francisco Barberino in S. Rituum Congregatione propositus infrascriptis dubiis.

1. An subcantores cathedralis Puteolanae teneantur ad servitium ecclesiae quotidie, stante tenuitate reddituum? et quatenus affirmative.

2. An, et quae insignia, quod stallum, et praerogativae ipsis debeantur?

S. eadem Rituum Congregatio, tam in voce quam in scriptis partibus informantibus auditis, respondit. Ad pri-

mum: *Teneri juxta onus eis injunctum, et in praeteritum observatum.* Ad secundum: *Negative*, et detur decretum sub die 13. Septembris 1692 editum. Et ita decrevit, et servari mandavit. Die 3. Octobris 1699.

*Anal. J. P. 1865 p. 1329 n. 2460.*

### SUBCOLLECTORES.

Subcollectores, Commissarios et alios Camerae apostolicae ministros, praesertim beneficia ecclesiastica possidentes, teneri accedere ad publicas et solemnes processiones, nec non Episcopo solita et consueta obsequia praestare in die ad id fixa et ad hujusmodi implenda per Ordinarium cogi posse. n. 2125 die 23. Julii 1661.

Vd. *Ministri in Pontificalib; Primicerius* (decr. n. 1988.)

Subcollectorum privilegia non suffragantur illis, qui non resident in dioecesi, cujus sunt deputati Subcollectores. Sacra Congregat. Episcop. in Pistorien. 9. Februarii 1624 apud Nicol. in Flosculis verb.: Subcollector n. 1.

### SUBDIACONATUS.

Vd.: *Ordatio ad Subd. et Diacon.*

1) Abbas Cisterciens. conferre non potest post Concil. Trid.

Vd.: *Ordin. Minores t. II. p. 561.*

2) Amictus.

*Ad dub.*: Quum in s. Ordinatione Ep. imponat Ordinando ad Subdiaconatum Amictum in capite, quaeritur utrum illud in capite tenere debeat usque ad finem Orationis vel super scapulas dimittere et quando?

S. eadem C. respondendum censuit.

„Dimittendum super scapulas post impositionem.“

Atque recribere rata est et declarare.

N. 5111 ad 2 die 11. Septembris 1847.

3) Calix. tang. in collat. Subdiacon.

*Ad dub.*: Similiter ex Pontificali debent successive tangere Calicem et Patenam Subdiaconi et Presbyteri in eorum Ordinatione. Sufficitne quod simul tangant et non successive singuli et super duos aut tres aut quatuor simul tangentes materiam, proferre formam, dum Pontificale dicit: *Accipite*?

Et S. eadem C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet.

*Affirmative* quoad Subdiaconos. *Negative* quoad Presbyteros: siquidem juxta Pontificalis Rubricam in Ordinatione Subdiaconorum super duos vel tres simul manu dextera tangentes Calicem cum Patena potest ab Episcopo proferri forma: *Videte cujus ministeriam vobis traditur etc.* In Ordinatione vero Presbyterorum cuilibet tradendus est Calix cum vino et aqua et Patena cum Hostia et cuilibet formula repetenda est in singulari: „*Accipite potestatem etc.*“

Atqui ita statuit et decrevit die 11. Martii 1820. N. 4565 ad 73.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Tandem ad tertiam Dubii partem sic ait: „Traditio Calicis cum Patena, prout exponitur in tertio dubio, tam fit Subdiaconis quam Presbyteris, dum ordinantur; ea tantum differentia, quod Subdiaconis traditur Calix vacuus cum Patena vacua superposita, Presbyteris Calix cum vino et aqua et Patena superposita cum Hostia. Verum si de Subdiaconis loquatur dubium, error irrepsit in indicatione

formae: *Accipite*; cum formula pro Subdiaconis sit: *Videte cujus ministerium vobis traditur etc.* Si vero de Presbyteris, major est error, quia non legitur in Pontificali pro ordinatione Presbyteratus, quando eis traditur calix cum Patena, *Accipite*, sed *Accipe*: Forma ergo in traditione calicis et Patenae pro Ordinatione plurium Subdiaconorum ponitur in plurali; in Ordinatione Presbyterorum praescribitur in singulari, *Accipe*. Hinc evidentissime deducitur, quin aliae theologicae rationes adducantur, quod super duos vel tres Subdiaconos ordinandos, qui revera successive tangant eodem tempore Calicem et Patenam, proferri potest forma: *Videte*: In ordinatione vero Presbyterorum, cuilibet esse Calicem cum Patena tradendum et in hujusmodi traditione cuilibet esse formam repetendam: *Accipe*: Haec enim est pro Presbyterorum ordinatione dispositio Rubricae Pontificalis: *Episcopus unicuique cum Oleo Catechumenorum inungit ambas manus simul junctas, dicens: Consecrare et sanctificare digneris Domine: Et postquam omnium Ordinandorum fuerint manus unctae et consecratae, necnon panniculo albo simul alligatae, cuilibet successive tradit Calicem cum vino et aqua et Patenam superpositam cum Hostia, quam Ordinandus accipit inter indicem et medium digitum, cuppam Calicis et Patenam simul tangens, eodem Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo etc.*“

4) Epistola legenda.

Cf.: *Epistola* (a quo cantanda etc.)

*Ad dub.*: Si Missa Ordinationis non fiat in cantu, Subdiaconus et Diaconus debentne cantare vel legere Epistolam et Evangelium et quando? S. C. resp.: „Legant, dum Episcopus legit.“

N. 4669 ad 9. die 12. Nov. 1831.

5) Intentionis defectus a parte Ordinandi.

Vd.: *Ordatio* (intent.)

Brixien. Ordinationis.

„Titius minorum ordinum clericus Episcopo Brixien. Ordinario suo supplicavit, ut sacrum Subdiaconatus ordinem sibi conferret. In hunc finem examinatus et idoneus repertus petiit a Vicario generali, ut attestationem susceptorum ordinum minorum sibi extraderet, quam Vicarius denegavit, eo quod orator testimoniales litteras proprii parochi super vita et moribus non detulisset. Cum autem Titius illas habere non posset, tum quia per annum a patria abfuerat, tum quia angustia temporis illarum consecutionem non patiebatur, attestationem susceptorum ordinum minorum confluxit Vicarii characterem imitando eaque cancellario exhibita in numero ordinandorum describi obtinuit. Mox unicum caeteris ordinandis alba indutus ad Episcopum ordinantem accessit Subdiaconatum suscepturus; at ingressus capellam, in qua ordinatio habenda erat, audivit publicari censuras adversus eos, qui absque debitis et legitimis licentis ordines suscipere audent. Quocirca deterritus et consilii expers cum a loco ordinationis recedere futurum sibi ignominiosum, ne censuras incurreret deliberavit accedere materialiter ad Episcopum unicum aliis citra tamen intentionem suscipiendi ordinem, prout fecit. His peractis, exoptans ad caeteros ordines ascendere, defectum intentionis habitum in receptione Subdiaconatus patefecit Episcopo, supplicans eidem quatenus ipsum ordinem sibi iterum conferret.“

„Hinc Episcopus hujus Sacrae Congregat. oraculum exposuit super eo.“

„An Titius sit in Subdiaconum iterum ordinandus saltem sub conditione?“

„S. C. rescripsit: Maneat suspensus et Episcopus melius informet de intentione. Die 31. Martii 1685.“

Episcopus Brixien., qui ab hac S. Congregatione jussus fuit sub die 31. Martii praeteriti magis praecise informare super intentione Titii in sequentem modum respondit: — „Mandatis istius S. Congregationis satisfaciendo, Titium oratorem examinari commisi super expositis in ejus supplicii libello eidem S. Congregationi porrecto. Ex juratis autem ejusdem depositionibus resultat dictum Titium stimulo reae conscientiae excitatum ob falsam attestationem a se confictam, immediate ante ipsius ordinationem elicuisse actum positivum non recipiendi ordinem Subdiaconatus seque materialiter tantum ordinationi praesentasse hoc uno sibi proposito fine, scandali scilicet forsitan oritur avertendi; numquam tamen revocata contraria intentione per ipsum, ut supra elicita.“

„Reassumpto igitur veteri folio EE. PP. decernere dignabuntur:“

„An Titius sit in Subdiaconum iterum ordinandus, saltem sub conditione?“

„S. Congr. respondit: Iterum ordinandum sub conditione privatim et dummodo aliud non obstat canonicum impedimentum. Die 28. Augusti 1685.“

(Anal. J. P. 1864 p. 757.)

6) Uni. confer. in Sabb. s.

Vd.: *Ordinatio priv. in Sabb. s.* (decr. n. 4583). *Ordinatio Unius.*

7) Una die cum Ord. Minorib. eisdem Personis conferendusne est?

Vd.: *Ordines Minores* (una die cum Subd. etc. decr. Calaritana.)

## SUBDIACONI ET DIACONI.

Quod Officium post Ordinationem recit. debeant?

Granaten.

Pontificale romanum in titulo de ordinatione presbyteri prope finem preces designat ab Episcopo ordinante singulis ordinandis injungendas deque Subdiaconis et Diaconis loquens sic ait: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) nocturnum talis diei“ super hujus clausulae genuino sensu theologi non consentiunt, quin potius in diversas abeunt sententias. Ut ergo quid certi tenendum sit pateat, orator ab hac S. Congregatione petit:

1. *Utrum per nocturnum talis diei necessario intelligi debeat totum officium nocturnum de tempore sive matutinum et laudes ejus diei in qua Ordines conferuntur sive unum nocturnum habeat, ut in sabbatis quatuor temporum et in sabbato passionis sive tres, ut in Sabbato Sancto et in festis et dominicis, in quibus ordines extra tempora conferuntur; an vero in hoc casu matutinum de tempore absque laudibus intelligendum veniat?*

2. *Utrum in potestate Ordinantis sit injungere unum tantum nocturnum, quem maluerit sive officii de tempore, sive de Sanctis, quod ipsa die concurrat?*

3. *Utrum injungere possit unum nocturnum de officio defunctorum vel parvo B. M. V., vel de alio Sancto?*

4. *Quando Episcopus ordinans nihil aliud exprimit, quam quod verba pontificalis sonant, utrum in potestate Ordinatorum sit recitare tantum vel unum nocturnum de tempore ejus diei, in qua ordines receperunt vel quemlibet alium nocturnum sive de tempore sive de Sanctis il-*

lius diei, in qua preces injunctas adimplere voluerint.

§. 1. *Resp.* Non est profecto nobis animus diversas hic enumerare et expendere sententias, in quas abeunt theologi super genuino sensu illius clausulae quam adhibet pontificale romanum: „Ad Subdiaconatum et Diaconatum (promoti) dicite nocturnum talis diei. Quid enim proderit, studiosius inquirere et laboriosius expendere argumenta singulorum scriptorum etiam gravissimorum, super re in qua ex hoc ipso, quod dubia videantur verba, quibus enunciatur et quod super ea nihil, quod pateat, ab ecclesiastica lege aut S. Congregationis oraculo definitum sit, impune quilibet in suo sensu abundare?

§. 2. Res est de facto: seu reducitur ad meram interpretationem eorum verborum. Sat igitur erit ex sanioris criticae regulis certiorum, quantum liceat, interpretationem inquirere et pontificalis proposita verba juxta liturgicas formulas et usitatiorem ipsius pontificalis praxim seu loquendi usum paulisper perpendere, relictis subtilioribus tantorum auctorum disquisitionibus, quorum tamen auctoritate quandoque utemur, ubi res postulaverit. Summa hujus interpretationis ad duas tantum voces reducitur, nempe quid per vocem talis intelligendum sit. Haec ubi assecuti fuimus, confidimus certe ad quatuor propositas quaestiones responsum facile patere.

§. 3. Ad primum itaque quod attinet sive ut assequamur quid veniat nomine nocturni; recolenda est prisca Ecclesiae disciplina, quae in horarum canonicarum recitatione servabatur seu quomodo dispertirentur, quo tempore recitarentur, quo appellarentur nomine et quid progressu temporis variatum vel inductum fuerit. Et quoniam haec praeter caeteros dilucide simul atque

erudite tractantur, quantum ad nos spectat, a Merato in suis observationibus et addit. ad Gavantum sect. IV., cap. 1., placet ipsius Merati verbis rem totam exponere relate ad eos articulos, qui quaestioni nostrae lucem infundent. Ait itaque praeclarissimus auctor loco citato de matut. cap. 1., n. 1.: Horae canonicae nocturnae seu officium nocturnum ita appellatum est, quia noctu recitabatur: „In noctis officio, sic prosequitur ib. n. III., unicus erat priscis temporibus nocturnus, qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali officio et in primo dominicae nocturno fieri solet, sed quia dominica dies tota Deo colendo atque laudando sacra esse debet, coeperunt monachi noctem, quae dominicam praecedat, orando transigere. Tradit etiam Cassianus lib. 3., cap. 3.: Monachos Aegyptios tribus diversis noctis temporibus diebus dominicis orasse, quibus opus facere non licebat; contra vero diebus reliquis quibus opus faciebant, semel tantum per noctem orasse. Eas noctes in partitis distinguunt officii, post aliquot psalmos decantatos, tres lectiones perlegebant idque tribus diversis temporibus per noctem repetebant, quae res tres nostros dominicae nocturnos profecto demonstrat; non solum dominicis diebus, sed etiam praecipuis anni festis noctis officium in tres nocturnos dividebatur, sed haec festa olim exiguo erant numero et idcirco trium nocturnorum officia minus frequentia erant et nullo negotio tres nocturni plerisque festis tributi fuere etc.“

§. 4. Maxime autem attendendum est, quod mox subjungit: „Tres nocturni isti qui tria diversa noctis officia constituebant, non solum apud monachos majori pietatis ardore frequentes, sed etiam apud clericos in Ecclesiis cathedralibus, diversis horis,